Suscepti itaque devote propter reverentiam sancti Fran-
cisci a familia tota · et cum omni benignitate trac-
tati · gratias agentes deo et hospiti · ad locum fratrum
devenere vicinum. Nocte ergo quadam beatus Fran-
ciscus uni fratrum illorum in sompnis apparuit · dicens.
Surge festina cum socio ad domum hospitis nostri.
qui Christum et me suscepit in vobis · volo enim ei bene-
ficia rependere pietatis. Eccus quidem effectus est
suis promerentibus culpis · quas penitentiali non studuit
confessione purgare. Discedente quoque patre
frater festinus surrexit · ut mandatum cum socio ce-
leriter adimpleret. Venientesque ad hospitis do-
mum · cuncta que viderat alter per ordinem narraverunt
eidem. Stupuit vir ille non modicum · et universa
que dicebantur vera esse confirmans · compunctus ad lacri-
mas confessus est libens. Tandem correctione pro-
missa · interiorique homine taliter renovatus · exte-
riorem continuo recuperavit aspectum. Huius mira-
culi fama circumquaque diffusa · non solum ad
reverentiam sancti · verum etiam ad confessionem humi-
lem peccatorum · et hospitalitatis gratiam pluri-
mos incitavit. Deliberatis a variis morbis